

scripturis authenticis. Conc. *Londin.* II, c. 29.

(22. Sigillo aureo vel argenteo uti non possunt regulares. Concil. *Nicæn. ex Arabico*, cap. 76.

(23. Minister generalis ordinis S. P. N. Francisci de Observantia legitime usus fuit, et uti potest titulo et sigillo cum inscriptione: « Minister generalis totius ordinis Fratrum Minorum: » ut hoc titulo insigniri consuevit a Summis Pontificibus, ut notat Dominicus de Gubernatis, in *Orbe Seraphico*, tom. I, lib. III, c. 10 circa finem, et signanter a Leone X, Clemente VIII, Paulo III, Sixto V, Urbano VIII, Greg. XV, Innoc. IX, et aliis sequentibus, et novissime a Benedicto XIII, constit. incip. *Universalis Ecclesie regimini*, et alia incip. *Dilectis filiis*, ibi: « Dilectis filiis ministro generali totius ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, nec non generali ministro Fratrum Conventualium ejusdem ordinis. » Et hoc, utraque parte informantem, jam fuerat repetitis vicibus declaratum a sacra congregatione Rituum, prout ad litteram referuntur decreta a suprascripto Dominico de Gubernatis, *loc. cit.*, tenoris sequentis.

« Religionis S. Francisci.

(24. « Cum procurator generalis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, sex ab hinc annis ægre ferret ministrum generalem de Observantia in præteritum usum fuisse, et in præsentiarum uti titulo et sigillo cum inscriptione: *Ministri generalis totius ordinis Fratrum Minorum*, recursum habuit ad Sanctissimum supplicans mandari reformari hujusmodi titulum tanquam non legitime dicto ministro generali de Observantia competentem. Et supplicatione per Sanctissimum ad hanc sac. Rituum congregationem remissa; eadem sacra congregatio discussionem hujus negotii ad referendum usque de anno 1625, commisit eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Muto, coram quo formato dubio de consensu ambarum partium: An titulus ministri generalis totius ordinis Fratrum Minorum, quo insignitur minister generalis Observantium, sit reformandus? Utraque parte sæpe sæpius in facto et jure desuper informantem et audita; ad relationem ejusdem eminentissimi cardinalis Muti causa acerrime in plena congregatione discussa, sacra Rituum congregatio respondit nihil innovandum, et ministrum generalem de Observantia legitime usum fuisse, et uti posse titulo et sigillo cum inscriptione *ministri generalis totius ordinis Fratrum Minorum*, et ita servari mandavit die 22 Martii 1631. »

« Religionis S. Francisci.

« Religio Minorum Conventualium conquesta est apud Sanctissimum de Decreto ab hac sacra Rituum congregatione emanato ad favorem ministri generalis de Observantia S. Francisci circa usum tituli et sigilli ministri generalis totius ordinis Fratrum Minorum, supplicans tanquam non audita in

suis juribus audiri in signatura gratiæ, et mandari illustrissimo datario, qui concedat ad hoc supersessoriam necessariam.

« Ex adverso autem frater Alphonsus de Prato procurator generalis Minor. Observantium adiens et ipse cum supplici libello eumd. Sanctissimum, supplicavit, quod, stante jure suæ religioni quæsito tam ex bullis Pontificiis, quam ex novissimo decreto, parte adversa super usu d. tituli et sigilli per quinquennium, et ultra sæpius audita et replicante, nemine ex eminentissimis Patribus contradicente, ad sui favorem edito, et etiam impresso, Sanctitas Sua dignaretur huic negotio perpetuum silentium, ut par est, imponere. Et utraque supplicatione per Sanctissimum ad hanc sacram congregationem remissa, eadem sacra congregatio unanimi eminentissimorum Patrum consensu censuit, ex hactenus deductis non esse locum novæ audientiæ. Et mandavit secretario alloqui cum Sanctissimo juxta mentem.

« Die 12 Aprilis 1631

« Feria sexta die 21 Aprilis Ego secretarius allocutus fui cum Sanctissimo juxta mentem sacre congregationis, et Sanctitas Sua mandavit mihi, ut loquerer, prout feci ad R. P. D. datarium pro imponendo perpetuo silentio.

« Ita reperitur in registis congregationis sacrorum Rituum. In quorum fidem, etc. Hac die 9 Junii 1682.

« Loco ✕ Sigilli.

« Bernardinus CASALIUS secret. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(25. Sigillum est nota quædam impressum habens nomen et insigne, vel simul, vel alterutrum ad fidem rei conciliandam. Botticher., *De jur. sigillorum thesi* 8.

(26. Dividitur autem sigillum in publicum ac privatum. (27. Publicum, quod a persona publica in negotio suam privatam rem non concernente ad publicam fidem faciendam adhibetur. (28. Privatam, quod in negotiis privatis sigillantium adhibetur; Nicol. Honthem., *De art. notar.*, cap. 11, n. 29; Gilman., *decis.* 51, n. 43.

(29. Ut autem omne sigillum maxime privatam rectam et legitimam faciat probationem, roburque scripturæ addat, in ejus appositione tria regulariter requiruntur a doctoribus, quos allegat Hoping., *De jur. sigill.*, cap. 11, n. 7. (30. *Primum* requisitum est, ut in scriptura, seu subscriptione exprimat, cujus sit sigillum. (31. *Secundum* a quo sit appositum; et *tertium* propter quod sit appositum, sive ex qua causa adjectum. (32. Si enim hæc non appareant, nec ex circumstantiis possint colligi, sigillum nihil operatur.

(33. An ad validitatem instrumenti a notario confecti requiratur sigillum ipsius? Prævaluit opinio affirmativa; ut videre est apud Covarruv., *Practic. resol.*, t. II, cap. 20, n. 5; Moller., lib. IV *Semestr.*, cap. 15.

SIGILLUM SACRAMENTALIS CONFSSIONIS.

SUMMARIUM.

1. Sigillum sacramentalis confessionis quid sit? — 2. Sigillum sacramentalis confessionis obligat confessarium ad celanda peccata in confessione detecta triplici jure, scilicet naturali, divino et humano seu ecclesiastico. — 3. Ostenditur, quod obliget jure naturali. — 4. Item, quod obliget jure divino. — 5. Item, quod obliget jure humano seu ecclesiastico. — 6. Hinc obligatio servandi sigillum sacramentale, tam stricte ligat et urget, ut in nullo excogitabili casu directe vel indirecte revelari possit, quamvis salus propriæ vitæ, imo totius mundi inde penderet; quin imo licet per hoc omnium hominum damnatio impediri posset. — 7. Ad sigillum sacramentale qui teneantur ultra confessarium, ad num. 8. — 9. An inveniens chartam, in qua sunt descripta peccata personæ cognitæ, teneatur ad sigillum sacramentale? — 10. Talis inventor tenetur ad sigillum naturale sub mortali, si illa charta contineat gravia et diffamantia peccata. — 11. Si aliquis mutus, vel alias impeditus confiteatur confessario præsentem per scripturam, et tunc durante actione sacramentali, aliquis legat illam scripturam, is omnino ad sigillum sacramentale tenetur. — 12. Ad sigillum sacramentale tenetur prælatus, seu superior, cui poenitens, vel confessarius manifestavit pro licentia absolutionis obtinenda peccatum reservatum, quamvis pro absolutione remittat ad alium. — 13. Superior seu confessarius, qui postea ad superioritatis gradum fuerit assumptus, nullo modo uti potest ad exteriorem gubernationem ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuit, et dantur ad id decreta. — 14. Hinc confessarius, qui ex confessione socii conspirationis contra se, novit sibi parari insidias in itinere a se subendo, sibi parari venenum in vino a se bibendo, et hujusmodi, si non, arripiendo tale iter, non bibendo tale vinum, et hujusmodi, sequeretur aliqua suspicio apud alios socios dictæ conspirationis de peccato confesso, aut periculum damni dicti poenitentis, tunc teneretur dictus confessarius enixe se Deo commendare, et tale statutum iter arripere, tale vinum bibere, et hujusmodi. — 15. Secus autem si in similibus casibus tales concurrant circumstantiæ, quod nulla directe, aut indirecte oriatur suspicio peccati conspirationis confessi. — 16. Unde post supra allata decreta jam non videtur practice probabilis sententia docentium confessarium ex sola confessione cognoscentem poenitentem suum indignum esse dignitate et officio, ad quod concurrat, posse ideo illi in electione gratuita et secreta denegare suum suffragium. — 17. Afferunt ad id notabile documentum Scoti. — 18. Confessarius ordinarie loquendo, neque de petita et obtenta licentia poenitentis potest uti scientia confessionis, et revelare ipsam sacramentalem confessionem. — 19. Potest autem id ex gravi quadam causa, et ad bonum finem de expressa et libera facultate ipsius poenitentis. — 20. Sine expressa et libera licentia poenitentis neque licet confessario loqui cum ipso poenitente extra confessionem sacramentalem. —

(1. Sigillum sacramentalis confessionis est obligatio servandi secretum in omnibus, quæ in ordine ad absolutionem sacramentalem confessario aperiuntur. Est in re communis.

(2. Sigillum sacramentalis confessionis obligat confessarium ad celanda peccata in confessione detecta triplici jure, scilicet naturali, divino et humano, seu ecclesiastico. Ita Scotus, in 3, dist. 22, q. 2, et communissima aliorum. (3. Et quidem quod

21. Confessarius, qui in confessione gravem errorem commisit, quid circa id debeat et possit. — 22. Sub sigillo sacramentali cadunt omnia peccata, tam mortalia quam venialia, et circumstantiæ, et defectus naturales non solum ipsius poenitentis, sed etiam complicitis. — 23. Assignantur varii casus, in quibus confessarius per suas locutiones sigillum frangit. — 24. Confessarius se exponit periculo frangendi sigillum, si dicat: Prima mulier, quam audivi in confessione, fuit adultera. — 25. Confessarii violantes sigillum confessionis subjacent gravissimis poenis, quæ assignantur, ad num. 26. — 27. Poenitentia pro fractione sigilli quoad regulares quæ sit? — 28. Dictæ poenæ impositæ contra violantes sigillum sacramentale non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ. — 29. Ut quis propter violationem sigilli incurrat prædictas poenas, plura requiruntur; et primo requiritur, quod sit sacerdos confessarius. — 30. Alii autem revelantes non subjacent præfatis poenis, sed puniendi sunt per judicem poena extraordinaria. — 31. Secundo requiritur, quod confessarius revelet peccata in confessione sacramentali sibi a poenitente exposita animo se accusandi, et absolutionem recipiendi; secus autem non. — 32. Tertio requiritur, ut confessarius revelet aliquod peccatum, vel mortale, quod sufficit, si revelet in genere, vel veniale, quod necesse est, ut revelet in specie. — 33. Quarto requiritur, ut confessarius revelet peccatum *presumptuose*. — 34. Quinto requiritur, ut confessarius revelet peccatum alicui alteri, quam ipsi poenitenti extra confessionem, sive ipsi sine ipsius licentia objiciat. — 35. Judex in causa violati sigilli sacramentalis est solus ecclesiasticus, minime vero laicus. — 36. Ex iudicibus ecclesiasticis cuicumque competat talis causa? An episcopo vel inquisitori. — 37. Ut judex ecclesiasticus instruere possit processum contra violatorem sigilli sacramentalis, non requiritur licentia poenitentis. — 38. Quando confessarius violator sigilli se reum fatetur, non est opus alia probatione, ad hoc ut possit puniri poena ordinaria. — 39. Quando confessarius dicit se peccatum non ex aliqua confessione sacramentali, sed tanquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei probare qua via et modo illius notitiam acquisierit. — 40. Quando autem fatetur confessarius se quidem peccatum ex confessione scivisse, sed cum licentia poenitentis revelasse, tenetur id probare, si poenitens ipse sit accusator. — 41. Secus autem, si alius sit accusator. — 42. Imo etiamsi poenitens sit accusator, creditur confessario, si sit ceteroquin optimæ famæ et integritatis; secus autem si poenitens sit melioris famæ et integritatis, quam ipse confessarius. — 43. Si autem cæteris paribus dubium existat, creditur potius confessario asserenti, quam poenitenti neganti licentiam fuisse concessam. — 44. Ad probationem violati sigilli sacramentalis, sufficiunt etiam testes singulares. — 45. Afferuntur quæ novissime ad debitum sigilli sacramentalis custodiam disposuit Benedictus XIV. — 46. Alia ad rem ad num. 85.

obliget *jure naturali*, clare patet quia, natura dictante, non est aliis faciendum, quod quisque sibi fieri non vellet, juxta illud vulgatum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* (*Tob. IV, 16*): Nemo autem vellet, quod suum secretum, ex quo aliqua infamæ nota eidem posset inuri, manifestaretur, adeoque sigillum confessionis obligat jure naturali; alioquin lex naturæ de servanda fidelitate et secreto proximi celando violaretur.

(4. Quod autem obliget jure divino, clare

constat quia, dum Christus Dominus instituit sacramentum Pœnitentiæ, præcepitque confessionem, simul confessariis arctissimam hanc sigilli obligationem imposuit: quamvis enim hoc ex nullo textu scripto comprobetur, evincitur tamen ex expressa, continuata et constanti traditione ab apostolis ad hæc usque tempora. Traditiones autem divinæ tantam vim habent obligandi, ac verbum Dei scriptum. Unde Apostolus, *II ad Thessalonicens. II*, præcipit dicens: *Itaque, fratres, state et tene traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. In quem locum S. Joannes Chrysostomus sic scribit: « Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine litteris, eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista, » et conc. *Trid., sess. IV, decreto De canonicis Scripturis* sic expresse habet: « Sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina synodus.... Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, ac continua successione in Ecclesia catholica conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. »

(5. Quod vero obliget *jure humano*, seu *ecclesiastico*, habetur expresse ex cap. *Sacerdos 2*, dist. 6. De pœnitent., ubi pœna depositionis a sacerdotali officio, et perpetuæ ignominiosæ peregrinationis erat imposita confessariis violantibus sacramentale sigillum, ibi: « Qui hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat, » et cap. *Omnis utriusque sexus 12*. De pœnitentiis et remissionib., ubi violatoribus sigilli confessionis constituitur pœna depositionis ab officio sacerdotali, ac perpetuæ pœnitentiæ in arcto monasterio peragenda, ibi: « Qui peccatum in pœnitentiâ iudicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arcto monasterium detrudendum. »

(6. Hinc obligatio servandi sigillum sacramentale tam striete ligat, et urget, ut in nullo excogitabili casu directe vel indirecte revelari possit, quamvis salus propriæ vitæ, imo totius mundi inde penderet; quinimo licet per hoc omnium hominum damnatio impediri posset. Communissima omnium Catholicorum.

(7. Ad sigillum sacramentale tenentur, ultra confessarium, etiam sequentes, nempe interpres, per quem facta est confessio. Item laicus, qui sacerdotem se fingens, confessionem excepit. Item ille, cui confessarius sacrilege revelavit peccatum. Item audientes tempore pestis, seu naufragii confessionem publicam. Item audientes casu, vel malitiose peccata, dum confitentur. Scotus, in 4, dist. 21, quæst. 2; Rosignol., *De pœnitentiâ*, part. 1, qu. 7, art. 12, sect. 2, cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel., *Theolog. mor.*, tract. 14, dist. 9, quæst. 3, n. 36, ubi testatur de communi. Et ratio est, quia notitia ad eos pervenit ex confessione sacramenta-

liter facta, adeoque hujusmodi revelatio esset contra reverentiam sacramenti, et redderet odiosam ipsam sacramentalem confessionem.

(8. Item ad sigillum probabiliter tenetur, qui per examen pœnitentem ad confessionem disponit. Item ille, cui pœnitens se aperit hodie, ut illum dirigat pro confessione crastina. Item doctor consultus a confessario super aliquo delicto, si ex illo noverit delinquentem. Item ille, cui pœnitens jam non potens scribere dictavit sua peccata, postea ex ipsius scripto confessurus. Item ille, cui pœnitens dicit, se velle confiteri, et propterea illum consulit, an et quomodo hoc vel illud peccatum teneatur confiteri, quamvis non illi, sed alteri confiteri velit. Gormaz, part. II, n. 391; La Croix, lib. III, part. II, n. 1052, cum pluribus aliis ibi citatis; Sporer, tom. III *Theolog. sacramental.*, part. III, cap. 7, qu. 3, a n. 848 ad 855, cum aliis ibi allegatis contra alios. Et ratio est quia, licet illa notitia non habeatur in confessione, nec ex concessione, habetur tamen per ordinem ad illam, adeoque hujusmodi revelatio esset contra reverentiam sacramenti, et redderet odiosam ipsam sacramentalem confessionem, unde, ne id eveniat, servandum est a supradictis sigillum.

## NOTA ROMANI THEOLOGI.

Non solum probabiliter, sed certe tenetur quis servare sigillum in casibus hic expositis.

## RESPONSIO AUCTORIS.

Sed quod teneatur ad sigillum certe fateor et ego; an autem ad sigillum sacramentale vel naturale? non parva est inter doctores controversia. Hinc ponderet prudens lector *ibi* tradita a me n. 10 et 11, et pro æquitate resolvat.

(9. An autem inveniens chartam, in qua sunt descripta personæ cognitæ peccata, teneatur ad sigillum sacramentale? Variant doctores. Affirmativam enim sententiam tuentur Rodriguez, Fagundez, Malderus et alii plures apud Dian., part. II, tract. 4, resolut. 112; Navarrus, Graff., Vega, Gormaz, Diana, Tamburin., apud La Croix, *loco citat.*, n. 1953, et probabiliter Sporer, *loc. cit.*, n. 857, et alii; et ratio est quia talis peccatorum scriptio fit propter confessionem, et re ipsa videtur esse inchoata confessio, sive confessionem jam factam gerens. Negativam autem, scilicet inventorem talis chartæ non teneri ad sigillum sacramentale, sed solum ad sigillum naturale, defendunt et quidem probabiliter Bonacina, *De Pœnitentiæ sacrament.*, disput. 5, qu. 6, sect. 4, punct. 3, n. 7, cum pluribus ibi allegatis; Castropal, Aversa, Hlsung, Busemb. aliique multi apud La Croix, *loc. cit.*, n. 1953; Rosignol., *loc. cit.*, n. 17; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 37; Layman, Suarez, Navarr. aliisque congestis, Lugo, disputat. 23, sect. 2, n. 47, et valde probabilem hanc sententiam appellat etiam Sporer, *loc. cit.*, n. 858, et alii plures ipsam expresse tuentur: et ratio est quia illa charta seu notitia illius non pervenit ad in-

ventorem, nec in confessione, nec ex confessione, nec in ordine ad confessionem, cum pœnitens illam chartam scripserit solum, ut sua peccata sibi manifestet, et memoriam eorum retineat.

(10. Consentiant tamen omnes utriusque sententiæ doctores, quod talis inventor teneatur ad sigillum naturale sub peccato mortali, si illa charta contineat gravia et diffamantia peccata; quinimo cognito, quod talia peccata contineat, debet sub gravi ab illius lectione abstinere.

(11. Insuper consentiunt omnes quod, si aliquis mutus, vel alias impeditus confiteatur confessario præsentem per scripturam, et tunc, durante actione sacramentali, aliquis legat illam scripturam, is omnino ad sigillum sacramentale teneatur; tunc enim illa scriptura lecta a confessario est locutio, vel confessio pœnitentis, cum non aliter confiteatur mutus ille, nisi scripturam.

(12. Ad sigillum sacramentale tenetur prælatus, vel superior, cui pœnitens, vel confessarius manifestavit, pro licentia absolutionis obtinenda, peccatum reservatum, quamvis pro absolutione remittat ad alium confessarium. Sic pluribus allegatis card. de Lugo, disp. 22, sect. 2, n. 34 et 35; Rosignol., *loc. cit.*, n. 12, cum aliis ibi citatis; La Croix, *loco cit.*, n. 1951, cum Suarez, Fagundez, Stoz, Aversa, et aliis ibi citatis; Sporer *loco cit.*, n. 853; Diecastill., disp. 11, n. 325, dicens id esse certum, quamvis alii contrarium doceant. Et ratio est quia prælatus aut superior, cui casus sunt reservati, in hac parte gerit vices confessarii, cum quodammodo exerceat jurisdictionem, in ordine ad pœnitentium absolutionem, adeoque, etc.

(13. Prælatus seu superior, vel confessarius, qui postea ad superioritatis gradum fuerit assumptus, nullo modo uti potest ad exteriorem gubernationem ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuit. Sic expresse statuit Clemens VIII, in decreto *De casibus reservatis*, die 16 Maii 1594, ibi: « Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur, etc. Atque ita per quoscunque regularium superiores observari mandamus. » Hæc Pontifex. Et deinde die 18 Novembris 1682, editum fuit in congregatione generali universalis inquisitionis decretum prohibens, « Ne quis publice, aut privatim doceat, aut defendat licere uti scientia ex confessione acquisita cum gravamine pœnitentis, quamvis secluderetur quæcunque ejus revelatio, et quamvis multo majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur, mandans etiam universis pœnitentiæ ministris, ut a tali doctrina in praxim deducenda prorsus abstineant. » Sic apud Ardekin, tom. II, pag. 238, et alios passim id referentes.

(14. Hinc confessarius, qui, ex confessione socii conspiracy contra se, novit sibi parari insidias in itinere a se subeundo, sibi

parari venenum in vino a se bibendo, et hujusmodi; si non arripiendo tale iter, non bibendo tale vinum, et hujusmodi sequeretur aliqua suspicio apud alios socios dictæ conspiracy de peccato confessio, aut periculum damni dicti pœnitentis, tunc teneatur dictus confessarius enixe se Deo commendare, et tale statutum iter arripere, tale vinum bibere, et hujusmodi; quia sigillum sacramentale ob commune bonum fidelium, et reverentiam sacramenti fortius obligat, quam propria vita servanda, imo et quam salus totius mundi, juxta dicta supra n. 6. In tali enim casu ex circumstantiis indirecte saltem revelatur confessio, et frangeretur sigillum, quia socii conspiracy videntes confessarium post auditam confessionem non arripere certo statutum iter, seu divertere ab ipso jam arrepto, et non bibere tale vinum certo alias bibiturum, suspicarentur de delicto conspiracy confessio, et possent in socium irruere, sicque cum gravamine pœnitentis redderetur odiosa confessio, adeoque, etc.

(15. Si autem in similibus tales concurrant circumstantiæ, quod ex non arrepto, seu non continuato itinere, et non bibito tali vino, et hujusmodi, nulla directe aut indirecte oriatur suspicio peccati conspiracy confessio, quatenus nempe socii conspiracy complicem confitentem non viderunt, et hujusmodi, tunc dictus confessarius posset licite iter non arripere, seu jam arreptum divertere, vinum illud non bibere et hujusmodi, quia tunc confessarius uteretur jure suo ad evitandam mortem sine ullo incommodo seu gravamine pœnitentis, cum sic licite salvaret propriam vitam, et impediret pœnitentis, aliorumque peccatum, seu occasionem peccati, quod re ipsa non est gravamen, sed beneficium, nec ullam committeret irreverentiam in sacramentum; cum, ut supponitur, ex dictis circumstantiis nulla directe, aut indirecte posset oriri suspicio peccati confessio. Sic recte cum distinctione, ut supra docent Diana, part. V, tract. 11, resol. 46, cum Richardo, Navar. Suarior et Soto, Felix Potestas, *loco cit.*, n. 3219 et seq.; Rosignol., *loco cit.*, sect. 3, n. 12 et 13; La Croix, *loco cit.*, n. 1976 et seq., cum pluribus ibi allegatis, et alii plurimi, et sub data distinctione nostra sententia jam deberet esse communis.

(16. Unde post allata Decreta sub n. 13, jam non videtur practice probabilis sententia illorum auctorum, quamvis plures quam quadraginta referantur a Sanchez, *De matrimonio*, lib. III, d. 16, n. 2; Mendo, d. 10, qu. 8; Stoz, n. 244, qui docent confessarium ex sola confessione cognoscentem pœnitentem suum indignum esse dignitate seu officio, ad quod concurrat, posse ideo in electione gratuita et secreta denegare suum suffragium, quia utitur, ut dicunt ipsi, jure, quod habet ad non promovendum indignum; sic non potest magister novitiorum suo suffragio rejicere aut directe cooperari, quod ab aliis rejiciatur a professione novitius, quem propter vitia vel alios defectus, ex sola

confessione novit esse ineptum, aut fore perniciosum religioso ordini. Item nequit confessarius dimittere famulum, quem ex sola confessione cognovit non esse fidelem, et huiusmodi. Item neque confessarius, qui ex sola confessione novit aliquem de communitate vitio carnis deditum esse, et primum ad seducendos alios, nequidem indirecte facere, ut, inde amoveatur. Item nequit confessarius negare eucharistiam, matrimonium, et huiusmodi, ei quem ex sola confessione novit esse indignum, impeditum, et huiusmodi. Item non potest superior religiosum, quem ex sola confessione novit esse concubinarium, e tali conventu aut officio remove. Et sic de similibus. Et ratio est quia, quidquid affert incommodum penitenti, quamvis absit periculum revelandi peccatum, et ita clam fiat, ut nemo advertat, merito reddit confessionem odiosam, si penitentes cognoscant sibi talia incommoda fieri posse propter solam cognitionem in confessione datam. Hinc confessarius vel superior debet in similibus se talem gerere, tanquam si nihil sciret; audita enim in sola confessione « minus scit quam quæ nescit, » inquit S. Augustinus, et « ex confessione scitum, » dicit S. Thomas, *Suppl.*, qu. 11, art. 1, ad 1. Cum enim id sciat ut Dei locum tenens, non potest uti pro humano commercio, alias divina confunderet cum humanis, adeoque de omnibus istis, et similibus silere debet, et totaliter se habere, ac si ea minime sciret, sicque se, et omnia Deo committere, cum hoc plurimum conducat ad reverentiam sacramenti, et ad augendam apud omnes securitatem sigilli. Sic Scotus, in 4, dist. 21, qu. 2, litt. N; Suarez, Vasquez, Præpos., Bonæsp., Dicastill., Stephanus, Aversa, Stoz, et alii cum La Croix, *loco cit.*, n. 1976 et seq.

(17. Unde Scotus, *loco citato*, de casu dicti superioris respectu sui subditi concubinari in confessione cogniti loquens dat hoc commendabile documentum: « Si dicas non apponi remedium ad salutem ovis suæ. Respondeo, consulat sibi in foro penitentiae meliori modo, quo poterit, ut illum locum sibi periculosum dimittat; si noluerit, non attentet esse Deum, sed defectus occultos sibi secundum justitiam incorrigibiles Dei correctioni dimittat; » hinc neque licet superiori seu prælato ex sola tali notitia habita in confessione magis advertere et observare directe ipsum penitentem subditum, ut inde occasionem capiat ipsum ab officio seu loco removendi, quia sic redderetur odiosa confessio. Sporer, *l. c.*, n. 869 in fine, et alii supra citati.

\* Confer Rituale Tullense, quod, teste Antoine cap. cit. 3, ad quæst. 5, monet, « ne parochus denegat testimonium bonæ vitæ et probitatis ei, cuius vita exterius est recte instituta, sed quem ex confessione scit esse improbum, vel benedictionem nuptialem iis, quos ex sola confessione scit contraxisse impedimentum dirimens ob crimen; ne moveat parentes ut diligenter invigilent filiæ cuius libidinem ex sola confessione novit; ne

amoveat vicarium, ludimagistrum, etc., a suo munere ob crimina ex sola confessione nota. » Hinc rejicienda regula, quam Natalis Alexander, *De sacram. Pœnit.*, art. 10, num. 56, proponit his verbis: « Sacerdos, qui ex sola confessione novit aliquem indignum esse ecclesiastica dignitate vel præfectura, suffragium illi negare potest, et illius electioni contradicere. »

(18. Confessarius, ordinario loquendo, neque de petita et oberta licentia penitentis, potest uti scientia confessionis, et revelare ipsam sacramentalem confessionem, quia si penitens non ultro, sed tantum ad petitionem confessarii det ipsam licentiam loquendi, communiter censi debet data ex metu reverentia, adeoque invalide. Tamburin., *De confess.*, lib. III, n. 5; Dicastill., d. 12, n. 66; La Croix, *loco cit.*, n. 1958; vel certe cum periculo invaliditatis; La Croix, *loco cit.*; Diana, part. v, tract. 11, resolut. 10; Stoz., lib. II, num. 197, ubi addit quod, quamvis penitentes dicant se libenter eam dare, sæpe tamen in animo refugiunt, et sic sacramentum adhuc redditur odiosum, si confessarius ea licentia utatur. Tum quia negant plerique ex antiquioribus, ac præsertim Alensis, Durandus, et alii, et ex parte Scot., in 4, dist. 20, q. 1, § 5, et dist. 21, q. 2, litt. L, quia jus sigilli sacramentalis non est tantum ipsius confitentis, sed etiam totius communitatis fidelium, quæ alias maxime perturbaretur, et ipsius sacramenti, cui ipse penitens renuntiare non potest, licet ipse penitens possit cedere juri suo. Cap. *Si de terra* 6, De privileg., et l. *Si quis in conscribendo*, 19, cod. De præceptis; non potest tamen cedere juri sacramenti, et totius communitatis fidelium. Cap. *Si diligenti* 12, De foro compet.

(19. Dicitur autem notanter ordinario loquendo, quia ex gravi causa, et ob aliquem bonum finem, verb. gr. ad malum aliquod avertendum, ad consilium a doctiori petendum, et huiusmodi de expressa, libera et plene voluntaria licentia penitentis loquendi cum alio de suo peccato, aut alia re suæ confessionis, potest confessarius sine fractione sigilli caute cum eo loqui. Sic teste Sporer, *loco cit.*, n. 819, jam communissima doctorum cum S. Thoma, S. Bonaventura, et pluribus congestis; Suarez, disput. 31, sect. 5; Sanchez., lib. VI *Moral.*, c. 18; Layman., cap. 14, n. 14; Lugo, Tamburin., Diana, et alii passim. Tunc enim cum penitens dat expressam et liberam licentiam confessario loquendi de peccatis in confessione auditis, videtur cessare ratio secreti naturalis atque reverentiæ sacramenti et odiositatis confessionis. Argum. cap. *Significasti* 5, De adulteriis, ubi legitur, quod de licentia mulieris sacerdos, cui hæc confessio fuit, dixerit eam sibi confessam esse adulterium, nec tamen in hoc casu vel minimum sacerdos reprehenditur a Papa. Verum Barbosa, in citato cap. *Significasti*, n. 2; Navarrus, in cap. *Sacerdos* 3, distinct. 6, De penitent., n. 126, et alii, censent illud capitulum loqui, non de confessione sacramentali,

sed extra sacramentum tam per adulterium, quam per adulteram facta. Unde in similibus est valde caute procedendum, cum non expediat, quod penitens ex qualibet levi causa det confessario talem facultatem loquendi cum aliis de auditis in sua confessione, nec quod confessarius de ea facile utatur.

(20. Sine expressa et libera penitentis licentia neque licet confessario de auditis in confessione loqui cum ipso penitente extra confessionem sacramentalem; quamvis enim id proprie non sit fractio sigilli, uti cum pluribus docet Sanchez lib. III, *De matrimonio* d. 16, omnes tamen doctores tenent huiusmodi locutionem cum eodem sine ejus licentia esse illicitam, quia vere eedit in odium confessionis et sacramenti, et plerumque non sine rubore et offensa penitentis. Potest autem confessarius licite loqui extra confessionem cum penitente de auditis in sua confessione, si ipse penitens prior de illis loqui incipiat, quia tunc censetur ipse voluntariam et liberam ad id licentiam concedere.

(21. Confessarius, qui in confessione gravem errorem commisit, consulens v. g. bona fide tanquam licitum aliquem contractum, quem postea cognoscit certo esse illicitum, tenetur petere licentiam a penitente loquendi de materia confessionis præteritæ ad salutem animæ illius pertinentem, et quamvis penitens denegat talem licentiam, probabiliter adhuc potest de ea re loqui, ac errorem corrigere seu emendare. Sic Suarez, disp. 31, sect. 4, n. 3; Arsdakin, tom. II, pag. 266, n. 13; Felix Potest., *loco cit.*, num. 3233; Sporer, *loco cit.*, n. 722; Diana, *loco cit.*, resol. 26, cum aliis ibi allegatis; La Croix, *loco cit.*, n. 177, cum pluribus ibi citatis, Filliuc., Fenech., et alii; et ratio est, quia tunc confessarius proprie non loquitur extra confessionem, sed supplet, et perficit eam, quæ antea inchoata et imperfecta remanserat; tum quia in casu mali consilii nihil loquitur de confessione præterita, sed solum consilium male datum revocat.

(22. Sub sigillo sacramentali cadunt omnia peccata, tam mortalia quam venialia, non solum ipsius penitentis, sed etiam complicitis. Item circumstantiæ peccatorum, et defectus naturales, ob quorum revelationem potest penitenti evenire infamia, vel aliud incommodum, et sic reddi odiosa confessio; tales enim peccatorum circumstantiæ, v. g. quod quis sit illegitimus, sit infamis, sit genere obscurus, et huiusmodi, a confessario manifestari non possunt sine fractione sacramentalis sigilli. *Communis*. Et ratio est quia sigillum sacramentale obligat ad celandum omne id, quod confessionem odiosam reddere potest; per revelationem autem supradictorum, et similium redditur odiosa confessio, cum sic inferatur gravamen et præjudicium penitentibus, adeoque, etc.

(23. Confessio sigillum violat, si in genere dicat se absolvisse Paulum a peccato mortali, a casu reservato. Item si dicat, se Paulum non absolvisse, quia erat indispositus. Item si revelet aliquod peccatum veniale in specie,

v. g. mendacium; secus autem si dicat solum in genere fuisse confessum veniale, cum certum sit debere penitentem ad minus veniale peccatum confiteri, ut absolutionem obtineat. Item sigillum frangit, si revelet penitentiam pro mortali imponi solitam, v. gr. Psalmos Pœnitentiales, Rosarium B. M. V., jejunium, et huiusmodi; non frangit tamen sigillum, si revelet penitentiam pro veniali imponi solitam, ver. gr. unum *Pater* et *Ave*, *Salve Regina*, *Alma Redemptoris*, et huiusmodi. Sic doctor commun.

(24. Confessarius se exponit periculo frangendi sigillum, si dicat: Prima mulier, quam audi vi in confessione, fuit adultera; unde cavere debent confessarii a similibus locutionibus; quia ex ipsis sæpissime oriuntur gravissima scandala, et casum referunt Ludovicus Bail, in *Examin. confessorum*, part. I in fine; Baptista Corrad., respons. 1, par. quæst. 333; Bissus, in *Hierurg.*, tom. II, litt. S, n. 146, § 25; Pittonus, *Constitut. Pontif. et decis. ad confessarios* n. 345, de quodam marito, qui interfecit uxorem, quia quidam confessarius in Italia dixerat coram quibusdam, primam mulierem, cujus confessionem exceperat, fuisse adulteram.

(25. Confessarii violantes sigillum confessionis sacramentalis subjacent gravissimis pœnis; et quidem in cap. *Sacerdos* 2, distinct. 6, De penitent. imposita erat eis depositio ab officio sacerdotali et perpetua ignominiosa peregrinatio, ibi: « Qui hæc fecerit (sigillum nempe violaverit) deponatur et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. » Quæ pœna perpetuæ ignominiosæ peregrinationis, ob justissimos fines fuit postea conversa in perpetuam detrusionem in arctum monasterium, pœna depositionis ab officio sacerdotali adhuc permanente. Cap. *Omnis utriusque sexus* 12, De penitentis et remissionibus, ibi: « Caveat autem omnino, ne verbo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in penitentiali iudicio detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam penitentiam in arctum monasterium detrudendum. »

(26. In præsentiarum autem ex recepta consuetudine detrusio in arctum monasterium mutata est in carceres perpetuos. Sic notant communiter moderni in hac materia scribentes, teste Rosignol., *loc. cit.*, sect. 5, num. 7; Reiffenstuel, lib. V *Dec.*, tit. 38, n. 4.

(27. Penitentia pro fractione sigilli quoad regulares consistit in jejunando ter in hebdomada, comedendo tantummodo panem et bibendo aquam humi in publico refectorio, in cujus postea porta pronus ab exeuntibus Fratibus conculcetur. Sacr. cong. Episcop. et Regular., in una Augustinianorum 5 Septembr. 1659, apud Nicol., in *Lucubrat.*, t. II; Canon., lib. V, tit. 38, num. 17, *De penit.*